

Ann. I.

Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOCIS URBIS administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

RERUM INDEX

DE LITTERIS GRAECIS ET LATINIS	H. De Vecchi-Pieralice.
DE ARTE IN BONIS MORIBUS	H. Lambiasi.
DE THOMA VALLAURIO	I.
RECENTIUM LIBRORUM	Fr.
ARCHAEOLOGICAE RES	H. Marucchi.
ALEXANDER BONVICINIUS	I. Cascioli.
ANTHEA (<i>Eamus ad Ipsum</i>)	P. Angelini.
IN FONTEM 'AQUAE SANCTAE'	F. X. Reuss.
FRUSTULA	Forfex.
ANNALES	Egnatius.
ACTA SANCTAE SEDIS	Thomas.
EPISTULARUM COMMERCIMUM	A secretis.
AENIGMA	X.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCI

M DCCC XC VIII

MONITUM

Qui hunc alterum *Vocis Urbis* numerum libenti animo acceperint ac suo prosequuti fuerint favore, etiam atque etiam eos rogamus, ut una cum nomine et perspicua domicilii indicatione pretium subnotationis quam citissime mittant, ne mora sit ulla in huiusmodi commentario edendo ac dimitendo. Omnes praesertim Episcopos, qui cum nostro administratore de omnibus quae Romae acturi sint per litteras colloqui poterunt, itemque viros doctos, qui sive latinis rebus operam navant, sive studiis provehendis praesunt, sive adolescentes latinam linguam docent, vehementer obsecramus ut *Vocem Urbis* benigne respiciant, legant, sibique subiectis commendent: ad usum, enim, et latinae linguae commercium comparandum maximae erit omnibus utilitati.

Cuique insuper socio fas erit *soluta oratione* conscribere quae placuerint *Vocis Urbis* edenda paginis, dummodo ab indele nostri commentarii non abhorreant atque ambitum et incorruptam sermonis integritatem servent.

Socii omnes figuram (m. 1.10 × 24), quae summo colore ac mira quadam pulcritudine prospectum Urbis e Ianiculo monte illustrat, dono accipient.

LIBRI ET COMMENTARII DONO ACCEPTI

MARIANO ARMELLINI, *Lezioni di Archeologia sacra. Opera postuma.*

Qui audierunt praeclarum virum, M. Armellini, immature vita defunctum, sacram antiquitatem docentem, optimo consilio commentarium ediderunt earum rerum, quas ipse tradidit. Editum opus laudandum censemus, cum sit ingens fodina notionum, quae ad sacram antiquitatem pertinent. De hac enim agitur ratione habita veteris Christianorum societatis, cuius præcisa monumenta illustrantur, atque omnia pristinæ Ecclesiae instituta perspicua fiant; in ultima demum operis parte de inscriptionibus disseritur. Commentarium vero initium habet cum epistola de sacra antiquitate, quam conscripsit HENRICUS STEPHENSON, doctissimus eiusdem disciplinae magister, et ipse eruditorum hominum desiderio nuper morte præreptus. Quare librum hunc, licet, morte præriente scriptorem, ultimas haud expertum limas, maxime commendamus praesertim iuvenibus, qui in spem Ecclesiae aluntur, cum sibi uberrimos doctrinae fructus, illum perlegendi, comparare possint.

Breviarium Romanum, editio nona post typicam, in-12, in 4 vol. Ratisbonae, M.DCCC.XCVIII. Haec editio sumptibus elegantissime facta et typis FRIDERICI PUSTET, omnes complectens rubricarum variationes ceteraque additiones nuperrime decretas, Sacrorum Rituum Congregationis approbatione fulcitur.

IOANNIS BERNARDI VIGI *De Sindone Taurinensi Carmen*, curante VINCENTIO LANFRANCIO. Augustae Taurinorum, ex officina Salesiana, M.DCCC.XCVIII.

NICCOLÒ PERSICHETTI, *Viaggio archeologico sulla via Salaria nel circondario di Cittaducale*, con appendice sulle antichità dei dintorni.

— *In memoriam Caroli Henrici Ulrichs ephemeredis*, cui titulus *Alaudae, auctoris sylloge. Ex arce Sancti Cassiani*, 1896.

ENRICO SANTINI, *Compendio di storia per i Licei*, parte I. Roma, 1898.

HUGUES VAGANAY, *Les traductions du Psautier en vers latins au XVI^e siècle.*

H. MARUCCHI et P. CHENILLAK, *Guide du Palatin pour les voyageurs*. Rome, 1898.

O. MARUCCHI, *La biografia di un personaggio politico dell'antico Egitto*, scritta sopra la sua statua nel museo Egizio Vaticano. Roma, 1898.

— *Gli Obelischi egiziani di Roma*, illustrati, con traduzione dei testi geroglifici. Roma, 1898.

MATTEO PRIMICERIO FALIVENE, *Sul primato di S. Pietro. Errori e confutazione*. Salerno, 1898.

STEFANO GROSSO, *Lettere inedite di scrittori italiani del secolo XIX*, con discorso proemiale. Pisa, 1898.

ANTONIO MALVEZZI CAMPEGGI, *La costituzione del Senato*. Desclée, Lefebvre e C. Roma, 1889.

Revue bibliographique belge, rédigée par une réunion d'Écrivains, suivie d'un *Bulletin bibliographique international*. Bruxelles, 1898, n. 7. Rivista internazionale di scienze sociali e discipline auxiliarie, anno VI, vol. XVIII, fasc. LXX. Roma, 1898.

Nuova Antologia, anno 33°, fas. 645. Roma, 1º novembre 1898.

Rivista politica e letteraria, vol. V, fasc. II. Roma, 1º novembre 1898.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia Lib. 10
Ubique extra . Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3

BIS IN MENSE PRODIT

ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE LITTERIS GRAECIS ET LATINIS IN SCHOLIS ORDINIS SECUNDI

Diu multumque, et interdum acriter, hisce praelestim temporibus, disputatum est utrum retinenda an amandanda sint studia et sermonum et literarum, quibus maiores nostri in scholis usi sunt.

Res adhuc in ancipi est; non enim exigui oratores hinc et inde disceptant, et, quod mirabile videri potest, iure bono sententiam optimam utrique tueri iudicantur. Olim direxit gravia proverbium, multa scriptorum laude celebratum: *Distingue tempora, et concordabis iura*; quid si item hanc dirimeret celebrandum quoque non mediocri laude proverbium, quod duobus unice continentur verbis: *Respice finem?* Si enim ipse negavero plures esse scientias ac disciplinas, eas praecipue, quae nostro saeculo maxima floruerunt, quae latinis graecisque verbis literisque non indigent, amens sim; sed (iustitiae ac veritati esto locus) sunt etiam non leves conditione, non paucae numero, non extraneae publicis privatisque negotiis, non a vita et salute hominum, non ab officiis et commodis et utilitatibus alienae artes et disciplinae, quibus necessarium est graeca saepe, latina semper non modo sufficienter noscere, sed etiam bene callere.

Hoc me enunciasse sufficiat, quum harum artium disciplinarumque iis, qui nostra ista legent, fortasse supervacanea, certe non necessaria enucleatio futura sit. Probe quippe sciunt, iurisperit tanto dignum nomine fore neminem, qui romano legum iurisque fonte carere possit; itemque nec esse vere philosophum, qui scholasticum campum arare queat, graecis latiniisque litteris non subiugatis. Numquid hasce non esse archaeologo necessarias quis duxerit? Aut quis credit oratoriam et poeticam laudem se posse adipisci, Virgilio et Flacco, Homero et Pindaro, Cicerone et Demosthene non exploratis? Et quid si theologicum caelum attinamus, in quo demonstrationes dogmatum, tamquam per totidem fixa sidera, certo ac immutabili verbo scintillant? Quid Patrum Doctorumque cohors, quid ipsa Biblia latinis graecisque sermonibus usa, quibus nec apicem tollere, nec addere fas est, et ambulatorio cuivis vivo sermoni repugnant? Esto igitur geometrae, esto architecto licentia, esto physico corporum curam gerenti, esto et chimico, ut ea possit ignorare, quibus tamen ignoratis non perfectum se sciet; erunt semper qui graecis latinisque carere nullimode possint.

Quid igitur in pueris instituendis? Rectius, meo iudicio, fit ut singulis ad decimumsextum circiter annum graeca et latina tradantur, quo tempore et qua aetate electio summa fit disciplinae, cui vitae dies reliqui commendantur, et ingenium et indoles in viam aperte pergit, quam sententia, et mentis corporisque dispositio facilem, et caram, et utilem fore sibi persuadent.

Nimis enim crudele est adolescentibus, disciplinas, ad quas instinctu se ferri sentiant, eas inire non posse, quia, publicarum Institutionum scelere, manibus pedibusque truncati ab ineunte pueritia, elementa utriusque linguae prorsus ignorant. Nec valet afferre secundum aptitudinem, quam in elementaribus ludis praeseferunt, posse pueros a pueris secerni; ideoque hi linguis doctis, hi scientiis, hi artibus iam a pueritia addicantur. Scimus enim pubertatis annos maximarum perturbationum, non modo corporibus, sed mentibus quoque esse causas, quibus interdum, qui amphora esse coepit, Horatio perstrepente frustra, urceus exit; et, praeter omnem spem exspectationemque parentum, aedificatae domus inopino veluti turbine subvertuntur.

Peiora vero aliquis diceret, si puerorum arbitrio, atque optioni studia adeunda diceret se relicturum, et concessurum. Scimus enim pueros solatio, magis quam studio, deditos esse; scimus a labore abhorrere, et data studiorum semel optione, atque abrenuntiatione, exosam prorsus grammaticam italicam, exosam arithmeticam, et geometriam, aequa ac graecas et latinas institutiones, brevi esse abolendas.

Quid igitur, exacta sic pueritia, iuventutem ineuntes habebunt sibi proprium et vindicatum? Vacuus erit animus inanibus futilibusque assuetus, et laboris fastidiosus, ingenium rude, et fortasse (Dii prohibeant!) in hac morum aestuante licentia corruptum iam cor, vitorumque et libidinis plenum. Ad haecne, patriae spem atque oculum, iuventutem servamus, ad haec addicimus, ad haec paramus?... Hoc unum superesset, si, qui in latinis graecisque adipiscendis anni per gymnasia trahuntur, melius in comparandis gallicis, anglicis, germanis, et quibusvis reliquis sermocinationibus adhibeantur.

Sed illa redeunt quae de altioribus disciplinis ineundis apud athenaea maiora superius descriptsimus; redeunt quae pro pueris ad addiscenda idiomata exterorum sive ineptis, sive recusantibus allata sunt; redeunt causae omnes, quibus impossibile est ut omnes peregrinacionibus apud gentes, quorum sermonibus assuerunt in gymnasio, destinentur. Statuendum

est igitur latinas et graecas linguis et literas in gymnasiis esse necessitate retinendas; lyceum adeuntibus, aptiora studiis disciplinisque electis idiomata relinquenda. Verum illud occurrit, neque leve, exiguum nimis in gymnasiis et e gymnasiis hauriri quoad cultum et usum utriusque veteris sermocinationis.

Factum non nego, sed facti aerumnosissimi causae non rei, non linguae, sed rationi tribuenda videntur. Invaluit quippe mos adducendi in ea studia animos ab ignoto ad ignotum, ignotum autem ex ignoto adipisci cuique, etsi egregiae indolis puer, difficillimum est. Atque hinc illud pene incredibile fieri videmus, scilicet iuvenes, qui ultra septennium anno in latina incubuerunt, latinae elucubrationis paginam proprio marte creatam impares et impotes ad edendum; et si ediderint, latinis quidem vocabulis exaratam dabunt, non autem latina mente conceptam.

Quoniam igitur portum attigimus, vela contrahamus, et, quasi philosophice dixerimus, ad eam, quae argumentationis conclusio est, veniamus. Hinc: I. Neque graeca neque latina sermocinatio, neque graecae neque latinæ literæ a gymnasiis amovendae sunt; retinendae autem in lyceo pro iis tantummodo, qui se sponderint studiis, quibus ipsae necessariae sunt.

II. Methodius, qua illa duo idiomata in gymnasiis traduntur, ita a fundamentis instauranda est, ut ignotum per notum tradatur, et quod servile et laboriosum studium est, exile, exsangue, futile, totum memoriae demandatum et spinosis praeceptusculis comminutum, studium fiat non memoriae sed mentis ministerio provehendum, idemque liberum, plenum, brevibus, iisque universalibus, praeceps contentum.

Quae ego omnia non temere edixi, sed praxi probata scribo. Annus enim iam satis et super est ut etiam mediocris ingenio, optimus tamen voluntate, adolescens eo deveniat ut, quae, exempli gratia, italice inopina dictantur, ea nullo lexicorum auxilio, nulla grammaticarum ope chartarum, currente rota et calamo festinante, non latinis verbusculis, sed et latine sentiat, et latino more ac romana dignitate conscribat.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

Forsan et haec olim meminisse iuvabit,
Durare et vosmet rebus servate secundis.

(VERG., Aen. I, 203, 207).

Committunt eadem diverso crimina fato:

Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.

(IUV., Sat. XIII, 104).

DE ARTE IN BONIS MORIBUS⁽¹⁾

QUUM vetus bonarum artium disciplina ab operosis abhorreat artibus, frustra, ut scribit Eugenius Müntz, humanum genus bene moratos cives ab eis desideret, nisi inter se nexae et coniunctae sint. Artis enim si considerabimus principia eiusque persequemur incrementa, animos hominum initio inveniemus immanitate barbaros, sine legibus, sine imperio, sine doctrina, ad ea solum intentos, quibus, ut cetera animantia, corpus alitur et augetur. Ubi primis necessitatibus consultum est et iucundioris vitae desiderium stimulus animo admovit, ad negotia primo que luci causa tractantur et commercia capessenda animi corporisque vires adhibitas esse constat; mox animus, nobilis sensim factus, specie pulcritudinis parta, mentis aciem acuere coepit, ut operibus manu condendis pulcherrima naturae exempla imitaretur. Graecorum natio, qua nulla beatior, divina providentia una ex ceteris gentibus potissimum delecta est, ut bonis excolendis artibus homines erudiret, altiusque in pectora omne virtutis genus imprimeret. Ecquis enim ignorat quibus quantisque Delphorum templum fuerit ornamenti ad Numinis cultum honestatum? Quid enim ob hanc artium multitudinem consecabantur nobilissimi artifices illi, qui in opere marmoreo nihil antiquius habebant quam ut divini auctoris virtutes perfectissimas modo nostro imitandas sub oculos ponerent? Olympiam si parumper circumibis, ducum, luctatorum, cursorumque statuis passim occurses, quae quam exprimunt virtutem in iuvenum animos infundant, eorumque confirment facultates; in templo omni tempore celebratum cum fueris ingressus, de Iovis simulacro, opere Phidiae perfectissimo, numquam deicies oculos.

Eiusmodi disciplina, quamvis bonos reipublicae afferret fructus, Graecis tamen non fuit satis: feminae enim eam desiderabant educationem, qua filios ad maiorum instituta et civitatis dignitatem erudirent: magnificent itaque extrui Pericles iussit locum, παρθενών, quem puellae, ut lenissima virtutum genera olim pueris inicienda, modestiam, pietatem, fidem, religionem ex eis perciperent fictis imaginibus spectandis observandisque, candida cum veste celebrarent. Verum opificum operibus factum est ut civilia bella desisterent, arma sumerentur in hostes, bonis privatis publica preponerentur, partium disparitates tollerentur e medio, et in integrum antiqua religionis fides, interdum superstitionibus corrupta, vigeret florentissima. O fortunata natio, qua filios pepereris dignos qui posteritati tradarentur!

Quid de Aegyptiis, quorum ingentes moles ad artis praecepta in urbem orbis terrarum dominam victricibus armis importatae, qui cultus humanus civilisque apud eosdem fuerit clara et firma dicunt testimonia? Litterae hieroglyphicae, quibus per figuram animantium sensus mentis ipsi effingebant, multa saecula obscurae, nostris felicissimis temporibus explicatae, luce clarissimis

manifestant, quibus vinculis bonae cum operosis artibus fuerint coniunctae.

Romani, barbaria deposita, quamvis novissimi arriperent ingenuas artes, brevi tamen tempore tantum in eis fecerunt progressum, ut Graecis ipsis conflarent invidiam. Graeci enim, specie rerum eximia capti, ad singularem quandam summam perfectionis imaginem ita contulerunt studium, ut ceteris ferme neglegitis, quae ad vitae usum et commoditatem pertinerent, artibus operosis fere omnibus manum adicere gravati sint; Romani, minore quidem ingenii celeritate praediti, rerum tamen peritia praestantiores, quae ad amplificationem rerum suarum conducebant, naturae inservientes, sibi suo quasi iure sumpserunt. Nullus enim fere est romani imperii terrarum angulus, in quo vel ductus aquarum, vel derivationes fluminum, vel agrorum irrigationes, vel moles oppositas fluctibus, vel portus manu factos, vel vias saxo quadrato stratas, vel pontes, thermas, theatra, cetera quibus Romanorum virtus floruerit non invenias. Quae aut vi tempestatis aut terrae motu aut vetustate ceciderunt, reliquiis suis monumentorum amplitudinem facile demonstrant. Optime igitur Tolstoi⁽¹⁾ vir litteris et doctrina insignis scribit: quo maior civium numerus ubiorem percipit fructum, eo magis opus arte perfectum placere. Brunetière autem, vir celeberrimus, in opere quo inscripsit: *L'art et la morale*⁽²⁾, affirmare non dubitat artem, quae per se tantum exerceatur, neque appetitus moveat neque animi sensus, etsi insignis sit artifex, id agere et moliri, ut necessario boni corrumpant mores. Quae quidem sapientissimae utriusque scriptoris sententiae Graecorum et Romanorum ingenii studiisque exacte respondent.

Quod si aevi, ignorantiae nota inusti, quod medium nuncupatur, paulisper exquiramus atque investigemus opera manu facta, tantum abest ut operosae artes iis temporibus remiserint, ut etiam munere et officio suo bene functas esse fateamur oporteat. Quam multi artium studiosi aetatis mediae coenobia visere, turres contemplari, aedes cathedrales perspicere, municipii domus diu oculis et animo perlustrare numquam se gravatos esse dicunt! Singulæ enim civitates, istis monumentis instituta privata et publica proferentes servantesque, nobilissima posteris tuerdae reipublicae et religionis exempla tradiderunt. Illa duo quae Aegyptii, Graeci, Romani in artibus excolendis assecuti sunt, aetatis mediae artifices semper in mente habuerunt: eorumdem temporum homines omni imbuere virtutum genere et ad memoriam posteritatemque monumenta prodere, quibus vel remotissimae aetatis homines Christi praesertim praeceptis et bonis semper moribus instituerentur. Utrumque posteriorum omnium consensu felicissime obtinuerunt. Figurae enim, imagines, statuae, simulacra ab eis descripta, sive ad religionis studium sive ad patriae amorem fovendum addicta et consecrata, mentes vel angustissimas adeo pervaserunt, ut a qualibet in rempublicam coniuratione cohibe-

rent cives, eosdemque a scelere deterrent atque audacia summa et fiducia perfunderent animos. Quae autem fuerit apud eos in Deum religio, in parentes pietas, in praesules oboedientia satis inter omnes constat: itaque in Concilio Arasensi an. MXXV. illud enunciatum est: tabulas pictas evangelium esse illitteratorum hominum.

Ab saeculo iam exacto Ioannes Iacobus Rousseau, quod Romani orbis terrarum potiti, liberales victarum gentium artes in Italianam importaverint, lamentabili voce conquestus est; proinde ac si earum progressus ad bonos corrumpendos mores et ad ipsius reipublicae interitum sumpperere contulerint. Vehementer errat, quum tribuit arti quod avaritiae, luxuriae est et ambitionis. Quaedam enim tabula eleganter picta, statua vere elaborata, grave augustumque monumentum publicum quod de civitate, de religione benemerentium commemoret laudes, nonne arcanam quandam excitant admirationem, quae ad propostas excolendas virtutes adhortetur vel inscuentes posteros? Num negari potest cum arte libertatem et virtutem consentire? Sed occurrit: si qua natio vera pace frui velit, prompta semper ad bellum sit et parata, ob eamque rem ubi excauuntur arma ibi artes conticescant oportet. Ut antiquorum temporum omittam exempla, nonne in Gallia, in Germania, in Italia, aetate media, quando vehementiores certabantur pugnae, amplissima extiterunt aedificia, quibus nationes, civitates, gentes ad quas pertinent, aeterna adhuc laudum memoria celebrantur? Nonne Florentiae, Senae Iuliae et in aliis clarissimis civitatibus, tempore quo Guelforum atque Ghibellinorum partes acriter inter se de imperio contendebant, ad maximum honorem artes sunt proiectae?

Arti igitur tribuendi non sunt depravati corruptique mores neque imminuta erga patriam pietas, quum eius tota vis et natura in divino quasi impetu continetur. Quod si ea non semper a se propulset quae virtuti et humanitati opponuntur, ut illecebris interdum opem ferre videatur, delapsi in vita saeculi pravam consuetudinem in artem paulatim veneno irrepisse dicendum est. Neque secus se res habet. Artem enim qui recte intelligit, non potest cum elegantiae doctrina quam aestheticam appellamus non commiscere et confundere ut unum idemque sonet. Quis est enim sanae mentis qui aestheticæ a quavis vel minima macula abhorrenti vitia et turpitudines adscribere velit? Nobis equidem graviori veritati detimento penicilli et scalpri fabrilis negligentia, sive bonorum morum commoda spectantur sive utilitates quae ex negotiationibus et commerciis percipiuntur. Nostri nihil secius legum auctores de litteris adiuvandis anguntur maxime et excruciantur, neque in re acquiescentes litterarum studia in animos vel ineptissimos omnibus modis inserere conantur, pingendi et sculpendi artem obliti, honestis pictorum factorumque desideriis contradicere non dubitant, nedum vim et auctoritatem tribuant. Verum enimvero artifices praemiis, beneficiis, gratia a reipublicae administratoribus donati, tacitis suis signis omni tempore effecerunt, ut mira quadam concordia in communem hostem cives

(1) Vide, sis, ephemerides *Revue Bleue*, III non. iunias, a. 1898; atque *Minerva*, mense iulio, a. 1898.

(1) Qu'est-ce que l'art?

(2) In pag. 28.

vinculo inter se coniungerentur, labores et calamitates pro patria, cruciatus et supplicia pro religione sustinerent, ad admirandas imitandasque maiorum vel in pace vel in bello res gestas converterent animos. Quod si verum illud est, ut nemo dubitet: *verba movere, exempla trahere*, nonne vehementius animi sensus promit atque ad rem gerendam inducit statua, tabula picta, simulacrum, monumentum quodvis spectandum, quam oratio perfecta, quae tantum saepe temporis manet in audientium mente, quantum in auribus afflatus aëris? Romani quam maxime maiorum imaginibus exhibendis pueros instituendos virtute curabant, ut fortes aliquando facti illorum vel domi vel militiae res gestas imitarentur, ad rationis normam dirigerent vitam, pro se suisque tuendis gravissima susciperent pericula animosque in dies confirmarent. Non sumus ii qui missas faciamus litteras, sed cum Eugenio Müntz postulamus ut opificum artes locum, quem ex recentioribus gentibus dederunt nationes, septem triones spectantes, pro dignitate sua apud nos ceterasque gentes habeant si saluti reipublicae, si civium commodis, si religioni et fidei providere nobis curae sit.

HENRICUS LAMBIASI.

DE THOMA VALLAURIO

PERBREVI temporis spatio mors atra manu arripuit duos viros celeberrimos, scilicet Thomam Vallaurium et Didacum Vitriolum, quanta iactura litterarum vix dici potest. Verba imprimis de Thoma Vallaurio faciam, amoris et veteris amicitiae causa hominem omnibus laudibus dignissimum.

Neque tamen multa dicam, commemorabo tantum eius studium invictum in latinis litteris, quas pertractavit mirum in modum usque ad vitae exitum. Illius, qui princeps omnium bene latine doctorum aevi nostri non modo ab Italib[us] sed ab externis salutatus est, mortem omnes lamentantur, et praesertim hisce temporibus, quibus usus latinarum litterarum negligitur; quare haud temere Vallaurius noster solitus dicere, ludens, «paucis post annis perrara bellus erit homo latinus edocutus litteras!» Ex amplissimis et quamplurimis viris qui ab exordio huius saeculi in Italia florueru[n]t latinis pollentes litteris, quique fuerunt: Lau[ren]ti, Marchi, Massi, Morichini, Rezzi, Tongiorgi, Angelini Romae; Boucheron, Provana, Regis, Vernazza in Subalpinis; Borda, Brambilla, Lanfranchi senior, Mai, Morcelli in Insubria; Corradini, De Vit in Venetis; Costa, Gagliuffi, Poggi, Sanguineti in Liguribus; Cantini, Silvestri in Etruria; Ferrucci fratres, Liverani, Ronchi, Schiassi in Aemilia; De Minicis, Gambini, Lanzi, Pianesi, Polidori fratres in Piceno; et Ferrini in Umbris; Ciampitti, Palombo, Mirabelli, Viglioni in Neapolitanis; et Vagliga in Siculis; perpauci etiamnum supersunt, quos inter eminet Ioachimus Pecci (modo Leo XIII).

Thomas Vallaurius Clusiae Pesiae in Subalpinorum regionibus anno MDCCCV ortus, ab ineunte aetate eo ardore latinas arripuit litteras, ut sibi animos moderatorum devinciret. Erat enim in adolescentulo ingenium acre et experrectum, et memoria valde firma. Ad haec indoles suavis et voluntas perdiscendi fere ad prodigium.

Augustam Taurinorum a parentibus missus, potiora studia arripiendi causa, praceptoribus usus

est praestantissimus, qui in Subalpinorum metropoli florebat. Inter quos praecipue multarum litterarum copia, et praesertim per quam nitide scribendi ratione Carolus Boucheronius, scriptorum latinorum aetatis sua[rum] princeps, animos iuvenum ad latinam linguam excolendam urgebat. Vallaurius noster, eo adhortatore et duce, totis viribus scriptorum augusteae aetatis perlegere tam sedulo coepit, ut nil magis; et difficile dictu est quantum diligentiae, quantum laboris in iis studiis contulerit. Vix septimum attigerat et decimum aetatis annum, et magister ad latinas litteras tradendas efflagitatus, munus ea praestantia est aggressus, ut ad id natura plane conformatus videretur. Eo studio discipulos amplectebatur, quo parentes filios; solitus enim dicere magistros in locum parentum succedere. Si vero in iuvenes offendisset qui litteras fastidirent, ne parentum spes irrita tandem caderet, aperto animo iis aiebat: Filii mei, nefas est invita Minerva studiorum curriculum arripare; potius militiae nomen date, eritis ferme patriae utiliores.

Discant praecettores illi qui vix laurea donati, ne dicam arrepta, litteris vale dicunt, ac tantum lucri causa adolescentes docent. Vallaurius fere ad vitae exitum haud se abstinuit a litteris; sed diligenter eas pertractare, quaeque potiora essent excerpere, disponere, memoriae tradere, et hac docendi ratione ingenia acuere; etiam discipulos domum suam accersere, quandoque eos inducens ad disputationem, ut aemulatione incitati, brevi periti evaderent. Inter hos gaudeo commemorare Io. Baptistam Gandinum, Vincentium Lanfranchium, Osvaldum Berrinum, qui splendorem dignitatemque latinarum litterarum prouvehant in exemplum.

Vallaurius etiam, forsitan nimio ardentis pectoris, quibusdam obstitit, qui Ciceronem hominem loquacem, garrulum, rabulam, philosophum nequam, affirmare audebant. Impia dicta, ipse, ob maximum studium erga auctorem summum qui aevum suum immortalibus scriptis illustravit, invictus retundit, profligavit. Quare Itali non modo sed externi, salutatorii tesserulis, epistolis et scriptis editis, viro nostro Tulliana dignitatis vindici gratulati sunt.

Nec minus de latinis litteris merentissimus propter opus improbi diuturnique laboris, scilicet: *Lexicon totius latinitatis*, quod invicta patientia, accrima sagacitate, mira sollertia ad unguem exactum, studiosae iuuentutis commodo edidit. Praestantissima etiam protulit monumenta quae magni praesidiu[m] historiae litterariae Subalpinorum pro certo sunt. Nec *Historia de Lyceis maximis* in Subalpinis praetermittenda est, nec *Historia Domus Sabaudiae*, nec *Descriptiones, Narrationes* quasque interdum italicice pertexit perpolito stylo; quare Academia Florentina italicae linguae tuendae illum suos inter sodales cooptavit. Edidit orationes innumeratas quas habuit in Lyceo Maximo Taurinensi studiis auspiciandis, in quibus scriptis doctrinæ praestantiam, uberrimam dicendi copiam inspicies et quamplurimam rei historicæ messem veterum monumentorum et latinorum scriptorum notitiam, ut facile auditorum animos raperet, atque ad ea studia inflammaret. Quapropter litteratorum conventus Italiae immo Europæ inter socios illum cooptarunt, tum principes eum equestribus insignibus condecoravere. At quid dicam Vallaurium decoratum? Num ille egebat honoribus? Satis ei fuit quod collegae et discipuli numisma cum eius effigie anno quinquagesimo magisterii sui cusum voluerunt, et id reverentiae et amoris pignus Vallaurius pergrato animo exceptit, cunctis aliis antepponens honoribus.

Sed de eius eruditissimis orationibus verba faciemus, quas o utinam adolescentes potiusquam per frequentissimas urbium vias vesanentes iterum atque iterum vagantes, vel in conventiculis etiam adulta nocte, fallendi temporis causa, abdit, domi potius studiis pro viribus intenti, quandoque perlegerent! Perlegerent etiam, hoc studio incitati, latinos scriptores maxima diligentia! Quid postrem dicendum de historia litterarum latinarum, quam licet per paucis explicata chartis, de romanis scriptoribus, quisque in suo ordine, iusto iudicio, eruditione singulari, nitidoque stylo contextam absolvit? quaeque licet ad philologiae studia, ut aetas nostra exposcit, non omnino comparata, attamen exstat, et exstabat certum Vallauriane sapientiae documentum. Quid demum de latinis titulis, quos innumeros condidit, ob incorruptam latinitatem perspicuis? Tot inter labores consuluit etiam prosperitati patriae suae, et saepius ope et consilio praesto fuit. Delectus orator legibus ferendis a Vitudonensibus, inde tandem, Guidone Baccellio universae rei litterariae moderatore, senator dictus, Vallaurius nil suavius sibi duxit praeter titulum doctoris decurialis Lycei Maximi Taurinensis, ubi ultra quinquaginta annos latinas tradidit litteras.

Gravem interea permolestumque ex fracto foemore dolorem rara animi tranquillitate tulit, quo minus pedem domo efficeret prohibitus, non conqueri auditus, studiis tamen sibi familiarissimis, ob miramentis luciditatem et memoriam usque ad exitum valde firmam, vacavit. Interdum cum amicis familiarissime per litteras conversabatur, facetus aequaque atque suavissimus.

Tandem mors quae

*aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turre...*

quidem Vallaurio nostro diem statuit supremum. Mortis nuncio, vir paratissimus, haerede testamento dicta Academia Scientiarum Taurinensi, sine querela, fortiter, sancte decessit, ab universis defletus.

Fuit Vallaurius statura procera, nec senio inclinata, vultu ad severitatem composito qua quemque primitus illum adeuntem exterrebatur, sed quicumque loquebatur cum eo, amicum optimum, festivum, salebrosum facile experiebatur. Viri nostres tum exteri et principes Augustam Taurinorum cum diverterent, Vallaurium de facie noscere, cum eo colloqui, sibi pergrandem honorem duxere.

I.

RECENTIUM LIBRORUM QUI SUNT DE LATINIS LITTERIS NOTITIA

HUMANISSIME lector, qui mecum latinitatis amore incensus, id pro explorato habes, Romanarum rerum studium non modo non negligendum ab Italib[us], verum maxima cura fovendum esse, ut optimum ingenii nostri et doctrinæ incrementum, visne interdum, me duce, in litterarum latinarum palaestram oculos convertere ad eos spectandos, qui pro latinitate nobili pugna digladiantur?

*Suave mari magno, turbantibus aquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.*

Scio quid respondere habeas, nempe optimum quidem consilium esse ut notitia identidem huius ephemericis lectoribus praebetur eorum librorum, qui vel in Italia vel apud exteris gentes quotidie eduntur de rebus latinis; at rem esse non ita levem neque parvi laboris; quem quis humeris suis sustinere valebit? Audio; ita profecto sese res habet;

neque ego hanc provinciam suscipiens difficultatem eius bene gerendae ignoro, neque mihi sumo aut arrogo ut par ei rei iudicer. Tamen quid faciam? Num tacendo rem optimi consilii ad nihilum redigi patiar? Cur non confidam potius humanitati ac benevolentiae tuae, optime lector, qui scis satis esse laudandam voluntatem etiam cum desint vires? Benigne igitur excipias rogo, quod in usum tuum paravi; nam de

elegiacos; et volumine edito *de locis qui sunt aut habentur corrupti in Catulli carminibus*, doctrinam suam et singularem praesertim locos difficiliores emendandi atque interpretandi sollertia viris doctis probavit. Eadem curam nunc in Propertii librum primum adhibuit, in mediumque vocatis iis versibus et locutionibus, quas multum iam inde a Scaligero et Passeatio interpres torserunt, innumerisque emendatio-

cere dicendi sunt; nam et inscriptions in lapidibus apud eos repertae et recta interpretatio eorum Propertii carminum, ubi de patria sua loquitur, omnem controversiam dirimunt. Eliseus in dissertationula sua, quae tamquam specimen est et breviarium maioris et diligentioris operis, omnia argumenta de Asisio Propertii patria in unum congressit, vexatosque poetae de hac re locos acutissimos observationibus illustravit; ita ut de huiusmodi quaestione ne minimae quidem, ut ego arbitror, dubitationi locus relictus sit.


Antequam Umbrum Callimachum relinquamus, monendi sunt lectores, librum de eo nuperrime editum esse Augustae Taurinorum ex aedibus I. B. Paraviae, cuius auctor esse fertur Caietanus Agnoli; at mihi nondum hunc librum per voluntare datum est.

Venio ad aliud maioris momenti opus, quod est de carminibus pseudo-vergilianis, quae inscribuntur: *Dirae* et *Lydia*. De his disseruit Romanus Sciava libro qui inscribitur: Prof. ROMANO SCIAVA, *Le Imprecazioni e la Lydia, poemetti d'ignoto autore latino, con traduzione e commento* (Pesaro, 1898).

Liber ab auctore suo dicatus est I. B. Gandino viro praeclaro et omnibus latinitatis studiosis notissimo; ex dedicatione autem colligimus, Sciavam fuisse olim Gandini discipulum, eiusque memoriam gratissimam servare. Quod utrique honori est. In hoc libro igitur Pisauensis professor *Diras* et *Lydiam* omni cura illustrandas sibi proposuit. Et primum diligentissimis Prolegomenis (pagg. 1-50) eas omnes quaestiones pertractavit, quae haec carmina legenti occurrunt; quis auctor *Dirarum* habendus sit quoque tempore conscriptae; utrum *Dirae* et *Lydia* idem sint carmen an alterae ab altera sejungenda sint; quis sit Battarus, quem poeta alloquitur; quo pacto *Dirae* in strophas sint distribuendae; quibus omnibus subiungitur perspicua de codicibus editionibusque eorum carminum expositio. Quod vulgo inde a Scaligero creditur, haec poëmatia auctorem habuisse Valerium Catonem grammaticum, hanc opinionem respuit et pro nihilo putat Sciava; qui ex eo quod in *Diris* loquitur poeta de Trinacriae insulae agris, hinc conjectura ducitur ad suspicandum eum Siculum fuisse, scripsisse autem postquam devicto S. Pompeio tota Sicilia in Octavianis ditionem redacta esset, i. e. anno ferme 720 ab U. c. Quae Sciavae conjectura omnino probanda videtur mihi; et in universum animadverto haec Prolegomena ita se habere ut ingenium et doctrinam auctoris luculenter testentur. — Sic diligentissime in *Diras* *Lydiamque* praefatus Noster, iam ipsa latina poëmatia optima lectione profert, iisque subiectit et versionem italicam numeris adstrictam et copiosissimas adnotationes. En habes, candide lector, librum non indignum quem in manus tollas, perlegasque.

Denique mentionem faciam latini cuiusdam opusculi quod ex Sicilia ad nos pervenit; en titulum: C. MARCHESI, *Duo codices mss. Anonymi Neveleti* (Catania, Giannotta, 1898).

Opusculum dicavit auctor Felici Ramorino « clarrisimo optimoque magistro » suo; est enim ille etiam discipulus Athenaei Florentini. Satis constat, inter corpora fabularum Aesopicarum, quae senescente litterarum aetate extiterunt, illud adnumerandum esse quod primus Isaacus Neveletus edidit in *Mythologia Aesopica* (Francofurti, 1610). Sexaginta sunt fabulae elegiaco metro conscriptae; quarum auctor cum ignotus sit, ea sylloge vulgo sub nomine « *Anonymus Neveleti* » fertur. Huius corporis fabularum duos codices manu scriptos invenit Marchesi in bibliotheca Catiniensi, nondum a viris doctis collatos; horum descriptionem et varias le-



Deipara Virgo, quam A. Bonvicinus pinxit.

nonnullis operibus nuper in Italia editis sermonem hodie instituam.

Primum te animo et cogitatione convertas velim ad ea opera, quae non in usum scholarum, sed studio doctrinae composita sunt. Quo in numero occurrunt ante omnia nobis duo opuscula de Propertio poeta; quae sunt: GIACOMO GIRI, *Sul primo libro delle elegie di Properzio* (Palermo, Virzi, 1898). — RAFFAELE ELISEI, *Nuovi studi sulla patria di S. Properzio* (in *Atti dell'Accad. Properziana del Subasio*, Assisi, luglio 1898).

Multum verae doctrinae est in priore opere, cuius auctor, Jacobus Giri, doctor est latinis litteris tradendis in R. Panormitanus Athenaeo. Iam aliquot annos totum hic se abdidit in studio poetarum quos vocant

nibus, quas alii alio tempore excogitarunt, diligenter trutina perpensis, multum sine dubio contulit ad locos Propertianos recte intelligendos. Quod si interdum opinioni eius non videtur esse assentendum, neque rem acutetigisse, at Propertii studiorum nemini non utilis erit huius opusculi lectio.

A magistro ad discipulum! Raphaël enim Elisei, qui de patria Propertii disseruit, alumnus est etiam nunc in R. Florentino Athenaeo. Qui quod huiusmodi argumentum sibi sumpserit tractandum, nemini mirum videbitur consideranti et eum esse Asisinatem et Asinates semper maxima pertinacia contra Mevanates aut Hispellates depugnasse ut Propertium sibi vindicarent. Quod quidem iure quodam suo fa-

ctiones exhibendas curavit. Qua in re illud inter cetera laude dignum est, quod optimo exemplo Marchesi latina lingua opusculum suum conscripsit. Evidem iis omnibus, qui apud nos de latinis litteris nonnulla scribere cogitant, auctor semper ero ut latino sermone utantur, qui quasi patrius est nobis et in consuetudinem nostram omni cura revocandus. Sic et dignitatem nostram tuebuntur et exteris gentibus se facilis legendos praebebunt.

Consilium erat, benigne lector, de pluribus aliis operibus hodie tecum sermonem iniicere, h. e.: a) de latinorum litterarum historiis recens editis; b) de latinis quibusdam carminibus; c) de novissimis latinorum scriptorum editionibus; d) de linguae latinae gramaticis duabus nuper ex germanico in italicum sermonem conversis, deque locutionum quodam indice (*Frasario metodico della lingua latina*) non sine laude impensis suis edito a Petro De Blasi.

Sed satietati tuae occurrendum arbitror; igitur omittam in praesens quae paraveram, in alios numeros, si tibi placet, dilaturus.

FR.

ARCHAEOLOGICAE RES

URBIS aeternae vox per hanc ephemeridem fere undique divulgata plena omnino atque efficax erit, si litterarum et bonarum artium commentariis vox quoque romanae veteris maiestatis adiiciatur. Quapropter aliquid de doctrina antiquitatis hic delibare opportunum maxime visum est; et lectoribus commentationes quasdam de rebus archaeologicis, praesertim romanis, ante oculos ponere.

At si Urbs tota sanctuarium venerandae antiquitatis appellari potest, neminem profecto latet celeberrimos in Urbe locos *Forum romanum* et *Palatium*, veterum etiam consensu, esse iudicandos.

In Foro enim insignia monumenta, romanae historiae testimonia veneranda, fracta adhuc loquuntur; ibi populis terrarum orbis dominus comitia agebat, ibi Curia in qua senatorum concilium quasi coetus regalis adparuit, ibi denique templa, basilicae, rostra, fornices et triumphales tituli, qui res gestas toto orbe illustres posteris tradiderunt.

Nec minore admiratione digna monumenta proxima Palatina existimanda sunt. Palatium revera incunabula ipsa Romanae urbis exceptit et, muro Romuleo circumdata, quasi acropolis altera veteris civitatis aetate regia et liberae reipublicae temporibus exstitit. In Palatio fundator ipse romani imperii lucem aspexit, et ibi post Actiacum proelium, rerum omnium potitus, domum suam instituit ut urbis aeternae novus conditor videretur.

Ita tamen Fori romani nobilitas imperiali domus palatinae magnificentia crevit, ut vere de hac nobilissima Urbis regione dici possit quod de Athenis scriptum est: « Quacumque ingredimur in aliquam historiam vestigium ponimus ».

Sed loci splendor tot post elapsa saecula, tot post discrimina rerum pene evanuit; et quae signis, maroribus, titulis, aedificiis cultu nobilissimo exstructis admirationem excitabant, nunc rudera informia nos ad rerum humanarum inanitatem meditandam potius movent.

Aetatis mediae rerum antiquarum ignorantia amota, et humaniore renascente cultura, Romani pontifices, studiorum omnium vindices ac patroni, ad romana monumenta servanda animum appulerunt; recentiore autem aetate etiam romani Fori aedificia sollerti studio tuenda curaverunt. Et memoria dignae prorsus sunt effossiones iussu Pii VII, Gregorii XVI, Pii IX susceptae, quibus scientia de aspectu et dispositione celeberrimi illius loci magnam revera utilitatem recepit.

At magni momenti procul dubio fuerunt effossiones a reipublicae litterariae moderatoribus sub

enim non solum aedificiorum forma clarius innote- scet, sed Forum ipsum maiestate sua magis vene- randum et quodammodo redivivum putabimus.

Quod in Foro praeterea nunc agitur, iam in proximis Palatini montis aedificiis coeptum erat; et magis magisque ibi factum iri spes nobis affulget.

Quapropter ephemeridis nostrae lectoribus rem omnino gratam peracturum me esse existimo, si de rebus archaeologicis scribens, praesertim de Fori ro- mani et Palatii monumentis commentationes quasdam, tabulis etiam adiectis, cum tempus erit, exponam.

Quin imo titulos epigraphicos quandoque illu- strare et inscriptiones illas graphio exaratas, quae vulgo *graffiti* appellantur, etiam interpretari operae pretium erit.

Et quoniam hoc me sermo perduxit, opportunum sane existimo inscriptiones illas postremae huius speciei in mentem legentium revocare, quae in cubi- culo Palatii inter aedificia

Caii Caesaris et Tiberianam domum exstant, de quibus paucis ab hinc men- sisibus longe lateque fama locuta est. Inter has inscrip- tiones figuris quasdam ipse recognovi in quibus scenographiam crucis sup- plicii, primo ictu oculi, mihi non solum, sed aliis etiam harum rerum peritis expressam fuisse visum est. Sed de hoc argumento nihil omnino scripti, quamvis ad id faciendum compulsi, et inter amicos pri- vato sermone et quidem dubitanter verba feci. Dua- bus postea tantum diebus elapsis, et re maturius con- siderata, receptam in ani- mum opinionem prorsus dimisi; et variis modis, literis quidem in publicum per ephemerides editis, id per vulgatum volui; quin imo publicationes etiam


hac de re ab aliis, me inscio, illis diebus prolatas omnino apocryphas atque arbitrarias declaravi (1).

Sed nuper commentationes novae de hoc suscep- tae sunt; et quidem talibus verbis, ut explicatio illa mihi adhuc attribui possit, atque ea intentione, ut ab explanato nunc inscriptionis sensu facile sibi auctores triumphum apud rei ignaros pararent.

Quod contra veritatem et aequitatem certe actum est. Auctores quidem minime latebat me opinionem illam non solum dimisisse, sed inscriptionum etiam ethniam naturam multum ante eos recognovisse.

Quapropter libellos istos, et alios similes qui fortasse in lucem prodituri erunt, utpote a veritate, circa id quod mihi attribuitur, prorsus alienos, ante archaeologorum non solum, sed etiam honestorum hominum coetum tota animi indignatione denuncio. Sed iam ad propositum redeamus.

De rebus archaeologis scribens monumenta ve- terum Christianorum omnino praeterire iniuriosum plane esset; ipsis nempe primaevae Ecclesiae historia



Domus Virginum Vestarium.

novo regimine sequenti tempore peractae, et praesertim a Guidone Baccellio v. c., cuius auctoritate anno 1884 insigne monumentum Virginum Vestarium in lucem prodiit. Et vir ipse, romanarum antiquitatum cultor eximius atque amator, nunc in re archaeologica regenda, ut ita dicam, *tertium consul*, ad monumenta romani Fori tuenda et exornanda omni cura animum vertit; et hisce ipsis diebus, coadiuvante Iacobo Bonio architecto, spectaculum omnibus rei antiquariae cultoribus apprime gratum oculis nostris subiecit.

Aedis Vestae, in qua ignem aeternum Romanus populus cultu antiquissimo, ut imperii pignus, ser- vabat, podium informe tantum supererat. At nunc columnae quae fractae circum iacebant in locum suum iam redeunt; columnis epistillum cum zophoro anaglyphis nobilissimis exornato superimponitur. Sacellum compitale, titulo aetatis facile Hadriani Au- gusti insigne, ante domum Virginum Vestarium pristinae redditur magnificentiae; rostra denique ante clivum Capitolinum, ac bases honorariae prope Sacra viam dispositae marmoreis atque aeneis orna- mentis, quae prius geregant, iterum decorantur.

Consilium sane optimum et omni laude dignum, quod archaeologorum in votis maxime erat! Itaque

(1) Cf. scriptum isdem diebus mense februario a. 1898 editum, cuius titulus: *Di alcuni graffiti del Palatino, etc., et opusculum sequenti mense a me gallico idiomate vulgatum: Guide du Pa- latin, etc., pag. 147.*

veneranda maxime illustratur et fidei nostrae genuina a primis saeculis traditio validissimis argumentis contra adversarios demonstrari potest.

Itaque de coemeteriis martyrum, et praesertim de novis ibi effossionibus peractis, scribendum quoque erit.

Romanae antiquitatis amor ac argumenti praestantia continuam de ea re tractationem profecto exposceret; sed graviores curae, quae me undique circumveniunt, labori huic mihi gratissimo obsistunt. Quapropter, quamdiu in potestate erit, et quomodo potero, de his et de aliis rebus archaeologicis lubentissime scribam.

HORATIUS MARUCCHI.

ALEXANDER BONVICINIUS

EXSTAT his temporibus Brixiae domus, qua in lucem editus est Alexander Bonvicinus, cognomento *Moretto*, pictor in arte excellens, saeculo decimosesto vertente, qui iure meritoque veluti genius loci dicendus, quique religioni ac bonis artibus multum splendoris opera sua adiecit, nostrorumque nomen artificum apud exteras nationes magis magisque commendavit.

Nam, quamvis id aetatis in italicis oris fas versum atque nefas esset, multaque ac gravia bella flagrarent, quae, ut liquet, neminem liberalibus artibus vacare sinunt, Alexander tamen, etiam inter armorum strepitum, nil temporis arti detrahens (tantus studii amor in eo innatus erat!), sic se totum pictoriae arti dedit, ut in ea fere primus inter Italos auctores exterosque evaderet, vel saltem perpaucis secundus.

Tantum meditatio, exercitatio, labor assiduus valet!

Tanta enim suavitatis gratia ac iusta dispositione

et varietate colorum, tantaque nobilitate artisque doctrina quamplures imagines expressit, ut prope modum dicendum sit quod genius coelo delapsus penicillum ingeniosi artificis fuerit moderatus.

Operibus Alexandri, iterum ac saepius comprobatur tantam in religione vim coelestem inesse, ut ipsa homines fere angelos efficiat in arte, veluti Sanctio, Bonarrotio, Iotto, Guidoni, B. Angelico, aliisque usuvenisse narratur.

Religio enim, altrix nobilissima bonarum artium, semper ac ubique locorum Bonvicinum comitata est, eique pulcherrima quaeque, sive in dispositione argumentorum excogitanda, sive in iis pictura conficienda, divino afflato in mentem concitat.

Igitur, omnia fere pictoris nostri praeclera opera religionis heroes aut evangelica facta respiciunt, quibus praecipue delineandis, plurimi sibi maximam gloriam peperere.

Primo ac nobiliori ordine collocandam putamus depictam ab eo tabulam, quae *Deiparam Virginem* incomparabili pulcritudine effectam refert ac per Filium suum ad superos pretiosam corona donatam, angelis inter nubila exultantibus. Quae tabula exstat Brixiae in aede ad Ss. Nazarium et Celsum.

In inferiori vero parte conspicere licet, fere in ecstasim raptos, hinc divum Franciscum Asisinatem genibus proolutum ac Nicolau Myrae episcopum, atque hinc Michaelum Archangelum, Satanam pede conculcantem ictuque lanceae confidentem, mira suavitate expressum, nec non divum Iosephum Virginis Sponsum.

Equidem fateor nullibi me invenisse Iosephum comiter intuentem Sponsam suam inter divos coelesti gloria circumfusam, qui eiusdem Virginis aeterno gaudio consociari videretur.

Secundo loco ponimus tabulam, qua cernitur *Iustina Virgo et Martyr*, Vindobonae modo in tablino ad imperatoris palatium asservata. Quanta vultus

— Neque adhuc invenisti?

— Mihi quidem tentata res est; non tamen ausu feliciore quam tuo. Nam quum animi securitatem tu in corporis voluptatibus, ego in cogitatione quaerere, caliginem in qua versamur neuter discussit. Nec te solum angi putandum est, sed in te aegrotare animam mundi. Quam multo abhinc tempore opinionem de diis immortalibus abiecisti?

— In nostro quidem populo deorum cultus religiounque sanctitates existunt in dies maiores; neque enim ii repudiantur quorum ex Aegypto atque Asia ingens fluit quotidie multitudo. Verum infinita illa ratio superstitionis nemini probatur, nisi forte olitoribus urbem potentibus, quos novi solos infelicitatis expertes. Iam vide, utrum vivere an mori sit optimius.

— Eccei exploratum est, exutis corporibus, quae fata nos maneant?

— Plane mihi videris non aliter sentire ab iis philosophis, qui de omnibus dubitantes, quasi noctem quandam rebus offendunt.

— Ita quidem. Verum illi in tenebris tranquille versantur; ego ipsorum causa discrucior.

— Unde salus obvienta sit num prospicis?

Paulum reticuit senex: deinde aliquantulum excitatus, — Salutem, inquit, exspecto.

— Unde?

— Nescio, — ille respondit, facie in manus reclinata; mox veluti victus altitudine nocturni silentii, compressa voce, — Saepe, inquit, mecum ipse cogito, si mundus haud maiora contineret quam quae scimus,

atque oculorum suavitas! Ut attrahit ad modestiam et mansuetudinem composita persona! Quam belle mollibus flexibus effulgent vestimenta, deae induimento comparanda!

Ad eius pedes vir adest, ipsam adprecans, probabilius Dux Ferrarensis.

Caeterae tabulae, quibus elucet magis Bonvicinii peritia, haec sunt:

Beata Virgo una cum S. Nicolao Myrensi, qui ipsimet quosdam puerulos offert, in aede Miraculorum Brixiae;

S. Margharita Cortonensis, incomparabili maiestate ac pulcritudine fulgens, hinc inde stantibus BB. Hieronymo doctore maximo ac Francisco Asiensi, in templo S. Francisci Brixiae;

Christus Samaritanae loquens, in tablino Morelliano Bergomi; *Coena Salvatoris* domo Pharisaei, in aede Pietatis Venetiis; *Deipara Virgo*, quam hic intuemur, una cum BB. Hieronymo, Antonio ac Francisco.

S. Ursula cum sociis, ad S. Clementem Brixiae; *Hebraei in deserto* colligentes mannam, in templo S. Iohannis Brixiae;

Christus ad columnam flagellis caesus, nec non quorundam nobilium virorum effigies.

Igitur, tribus iam elapsi saeculis, tanti viri nobilis tandem vindicata est per celebris fama, cum ad hanc usque aetatem nomen eius fere memoria excisum videretur.

Primus, paucis abhinc annis, depictas a Bonvicinio tabulas magni facientes protulit Otho Münder, natione germanus, ac dein Lübke.

Is quosdam discipulos artis sua post se reliquit, quos inter Ioan. Bapt. Moronium Bergomatem.

Diem supremum obiit Bonvicinus exente mense decembri anno 1554; atque humo mandatus est in coemeterio ecclesiae S. Clementis Brixiae.

Haec urbs itaque nobilissima inclito civi suo

aut si hominibus non liceret fieri praestantioribus quam qui sunt, hanc in nos aegritudinem cadere non posse. Quare in ipsa causa morbi spem esse sanationis existimo. Olympo quidem ac philosophiae hactenus adiuncta fides omnis evanuit; salus tamen ex latentis adhuc veri alicuius manifestatione obvenire potest.

His verbis Cinna praeter consuetudinem sensit exulceratam mentem recreari, auditoque universi genitu orbis, sibi visus est onus Aetna gravius suis impositum humeris deponere, in humeros plurimorum dispergiendum.

Interea utriusque viri familiaritas ita crevit, ut se mutuo adirent, nec modo studiorum, sed mensae quoque communitate uterentur. Haud ita multo post, Cinnae gratius effectum est idem domicilium propter hospitis filiam, Antheam. Quae tam egregium nomen Alexandriae fuerat consequuta, ut non solum matronas romanis, sed graecos viros, Serapei philosophos, populum denique omnem ad sui spectaculum evocaret. Nullo detenta gynereo, sed domestica disciplina exulta, ubi primum excessit ex pueris, se totam legendis libris graecis, latinis, aegyptiis, cum patre suo applicuit, cuius a latere numquam discedens et disputationes cum ipso crebras habebat, et gravissimas interdum quaestiones enodabat. Ad haec arcanam quandam praeseferebat speciem quasi sanctitatis, quod ei futura saepe paterent in somnis, multaque non oculis subiecta mortalibus adspicienda exhiberentur.

(*Ad proximum numerum*).

PETRUS ANGELINI.

ANTHEA

(Ex fabula H. SENKEWITZ POLONI, *Eamus ad Ipsum*).

Cui Timon, diu aequor intuitus imminentे luna splendescens, — Notastine, inquit, avium huc a nigris septentrionibus commigrantium agmina? Quid hie mantes in Aegypto quaerant ignoras?

— Nempe lucem et calorem.

— Hominis quoque mens expetit lucem, quam sola gignit veri inquisitio atque investigatio; ab eodemque calor quaeritur, qui est idem atque amor. Sed inter homines et aves hoc maxime interest, quod his iter ad felicitatem cognitum est atque paratum; illis agitur vita perpetuis curis et anxia dubitatione tristissima.

— Ita plane. Verum quid causae est cur tranquillae vitae degendae viam homines nullam inventant?

— Quandiu pietas in deos altis stetit fixa radibus, animorum quietus et placatus status erat. Postquam vero, deorum opinione sublata, religioni, quasi lucernae humore defectae, philosophiam sufficerunt, nulla pars relictus est vitae beatae. Plerique enim, ut scis, philosophorum greges, quum Romae, tum Athenis, nihil cognosci, nihil sciri posse contendunt, omnemque veritatem in profundo esse demersam; quos equidem non expetitae tranquillitatis, sed maxima perturbationis esse auctores existimo. Ita sit ut, protensis manibus, per anfractus obscurissimos tentemus egressum.

monumentum cum statua, quamvis sero, merito tam
men, impraesentiarum dicavit.

Haec censui in memoriam revocanda ut cuique
praestanti viro debitus honos tribuatur.

I. CASCIOLO.

IN FONTEM · AQUAE SANCTAE,

*Crebras fertur Ager Romanus gignere febres;
At, quae gignit humo, damna resarcit aquis.
Haud procul Urbe (quo lapide absit, nescio) Fons est,
Cui datur a Sancta nomen et omen Aqua.
Urbs hoc tota solet concurrere: pars vebiturque
Rheda, pars equitat, pars pede carpit iter;
Pars innixa rotæ, quam pes iam dexter adurget,
Iam laevis, praeceps verrit aratque vias.
Sed plerosque vides amplos descendere currus,
Quos per bina rapit ferrea tigna vapor.
Viso Fonte, caterva ruit bibitura, capaci
(Quem decies hausit) vix satianda scypho.
Mox implere cados et obeso ventre lagenas
Certat, et in proprias vasa referre domos.
Laudes huius Aquae quis digno praedicit ore?
Quis salis ingeniti vimque genusque notet?
Mulcet ventriculum, pituitam naribus arcet,
Pulmones vacuat phlegmate, bile iecur;
Sanguinis accelerat cursum renovatque calorem:
Nervos firmat, Atlas ut videare novus.
Offusos cerebro, fugat altros quosque vapores,
Labra (quod adstipeas) balba diserta facit.
Addit et ignavis animum: nihil ille pavebit,
Spumantem pateram qui semel ebiberit.
Ambigitur, fractos num rursus glutinet artus,
Num demat claudio vincla morasque pedi.
Unum constat: Aquas cum Sanctas ipse bibissem,
Haec mihi continuo disticha Musa dedit;
Clauda dedit, fateor; vitii tamen accipe causam:
Salsae nempe fui potor avarus Aquae.*

FRANC. X. REUSS.

FRUSTULA

AER nubilus, plumbei tholi instar, incubit: nulli
prorsus homines in hortis, in agris nulli; sylva
comas, terraque omne suum decus amisit: arbores
ipsae prementis undique luctus capere partem vi-
dentur, ad caelum arida tendentes brachia ramorum.
Tristis quidem november mensis, ad mortis imagi-
nem non animis modo, sed prope oculis obversan-
dam, natura sua accommodatus. Iam inde vero ab
antiquissimis gentibus comparatae consuetudinis eo-
rum, qui e vita cesserunt, memoriae per mensem istum recolendae, indicia praebentur. Romani, quam-
vis feralia festa mense februario fuerint statuta, de-
lubra subterranea reserabant inferis manibusque
dicata, iisque diebus nihil agere, quod maximi re-
publicae momenti esset futurum, nullos delectus,
nulla comitia habere, nullum praelium inire, neque
anchoras solvere, vel nuptias celebrare consueverunt.
At contra gladiatorum certamina tunc certa-
bantur (stulte enim putabant, quo magis effunderetur
sanguis, eo minus manum iras in mortuorum ani-
mas saevire); cruentis autem his ludis absolutis,
mutua inter se convivia agitabant cives, curam re-
centis necis atque piacula multo mero nefarie ob-
ruentes!

Romanorum solemnia mense novembri.

Conviviis nuper memoratis ea addenda sunt,
conquisitissimis cibis instructa, quae idibus novem-
bris in templo Capitolino Iovi dicato habebantur,
uti divum pater et hominum rex secundus firme rei
Romanae maneret; eodemque fere tempore plebs,
Bacchi in honorem, pariter epulis potionibusque im-
moderate inserviens, initium Brumalibus, aliquot dies
perdurantibus, iucunde imponebat, frigora imminentis
hiemis arcendi gratia.—Plane autem liquet, propiora
ob frequentes cruditates febris frigora hellunes illos
sibi comparare. — Ceterum, mense novembri, equi-
rium quoque spectacula in Campo Martio praebendi
mos fuit, magna civium frequentia, praesertim patricii
generis: ex eo enim ordine iuvenes cursu atque
bellicis artibus publice ibi corpus exercebant. De-
mum III kal. decembres in fano ad Circum Maxi-
mum, sacra Neptuno peragentes, nautae feriabantur,
ut aequorum numini meritas solverent grates, quod
eos incolumes nimbis tempestatisque servaverit.

Mensis novembri nomina.

Assentior plerisque mensem hunc novembrem
dictum, quia Romulei anni nonum: fuerunt qui ap-
pellationis originem e novis imbris traxerint; alii
etiam ex novi vini potu. Apud Athenienses ei no-
men fuit Anchesterion, quasi nempe exinanitae fetu
arbores; Macedones, qui eum in deorum numero
venerarunt, dei mensem nuncuparunt; Pletiparum
Cypri; Athyr Aegypti; Kisleu Chaldae Iudeaque;
Vintermon Teutoni; Saxones autem Slathermaen, ac
deinde Bloth-monath, mensem scilicet sanguinis, ex
pluribus piaculis.

Flores autumnales.

Abhinc annos quinquaginta fere incognitus, vix
a rudibus nivosorum montium incolis perspectus, au-
tumni tempestate flos oritur, praesertim in summis
Alpibus, unde per omnes terras venumdatur. Suave,
insuetum virgultum, cuius folia pilosiora, mollia, tam
plena venustate formosum flosculum redimunt, ut
quasi unum idemque effingant, stellam albam, opa-
cam, amoenissimam. Ex eo Edelweis, quo vulgo co-
gnoscitur, nomen apud Rhetios invenit, cum qui
herbarium artem docent gnaphalium leontopodium, sive
leontopodium alpinum dixerint. Ceterum, inter Ger-
manos praesertim, multi multa ac poetica ederunt de
hoc mirabili naturae munere saxis germinante, gelu
virescente, ante omnes flores longe soli tacitaeque
lunae silentiis proximo, sibilans ubi turbo infremit,
nullaque arbor, nullum germanum inhabitat. Qui laudes
flosculi Edelweis carminibus celebrarunt minime hisce
nostris temporibus enumerari queunt: Antoniam mag-
nam Tusciae ducem, Pichler, Schneller, Heufler,
Hunold, Terlago, Beck, Zwanziger, Hormann, Baum-
bach, Nordmann, Kobell, Scherer, aliasque multos
reperi.

Utilia.

Scriptitabitibus nihil sane importunius, quam ex
chalybe calamos, quibus nostris diebus omnino fere
utimur, quia rubigine laeos, crebro permutare. En
igitur modus impediendi quominus rubigine calami
hi corrumpantur. Merge nempe eos in cuprum sul-
phatum, quod liquaveris; dimidium horae relinque;
absterge deinde leviter, arefac. Hac enim agendi ra-
tione cupri integumentum, quod calatum obtexit,
rubiginis compositionem prohibet.

Iocosa.

Paschassi epigramma in iudicia:

*Mille mibi nummos subtraxerat Heliodorus,
In quem bella fori litigiosa paro.
Causam agit in vincis, longoque examine utrinque
Res trahitur; negat is, contra ego, teste, probo.
Convictus tandem furti damnatur, eidem
Poena et perpetui scribitur exsilii.
Restitui argentum decernitur: at prius a me
Mercedem Index exigit ope suam.
Sic quid iudicio mihi reddi mille putabam,
Exhaustis primis, altera mille dedi.
In ius, o iterum Index veterator, eamus:
Mille ego perdidera, millia bina rapis.*

FORFEX.

ANNALES

De gallica tutela et fide catholicorum, in Locis
Sanctis, multum, varieque disputatum est a
commentariorum scriptoribus, sive qui nostra, sive
qui extra recensent. Alii, alia plus minusve bene de
Summi Pontificis sententia iudicarunt. Nos cetera
omittentes, quae in ephemeride *Journal de Genève*
in rem continentur, eo libentius referemus, quo magis
eius scriptores a doctrina Ecclesiae catholicae dis-
sident.

Quae Gallorum Germanorumque animos modo
irritat, scinditque quaestio, haud bene intellecta, tota
commutata est, prout sua quemque trahit voluptas,
quum Leonis XIII verba aliter sint audita ac sonant.
Quae a fide dignis hominibus Romae vitam degen-
tibus accepimus ita iacent. Gallia in fidem suam re-
cipit religiones nomine catholicis decoratas in Locis
Sanctis et in ceteris orbis partibus ad orientem solem
vergentibus, in quibus sunt Evangelii paecones vulgo
Missionarii, aut sacerdotes gentis diversae. Quod si
accidat ut Hierosolimis in sacra urbe Germanorum
collegium floreat, vel cuius maior pars ad eos spectet,
res natura sua postulat ut Germanorum imperium
tutela in eo tamquam iure suo utatur. Neque illud
quoque excludendum est, nempe si quod Germano
forte tectum praesidio Gallorum collegium, aut res
quacumque ratione laedatur, tutela germanica una
cum gallica coniungi possit. Ita in re audienda sunt
verba S. Sedis Germanae reipublicae administrato-
ribus. Cum igitur res ita se habeat, nusquam de tu-
tela catholica apud gentes orientis partes incolentes
agitanda est.

Sed multi rerum scriptores mala verba movent
in S. Sedem, ut Vaticanum inter et Germaniam di-
scordiae sint et inimicitiae. Vanum idemque stultum
et pravum opus! Quod luculenter factis dictisque
comprobatur, quibus Guillelmus nomine secundus
Germanorum imperator declaravit se cum Sancta
Sede plenissime et Leone XIII familiariter velle sem-
per uti.

*
Perturbati civium animi sive qui pro Dreyfus, sive
qui contra tenent partes, quorum motu reipublicae
Gallicae moderatores nuper sunt de imperio admi-
nistrando delecti, multa monent, ex quibus gravia
consequi possunt. Cuncti oratores populares, in quibus
Felix Faure, qui reipublicae Gallicae praest, senten-
tiarum consensione, vota solemnia suscepserunt pro
victoria civilis potestatis supra militarem, rerum au-
tem curatores, qui saepe suffragiorum detimenta
passi sunt, praecipitem fugam capesserunt tum que-

rimoniis amicorum, qui in sinistra contionis publicae parte considunt, tum eorum clamoribus in parte adversa: *Bene exercitus!*

Quae omnia rerum commutandarum cupidi, iam prospicientes taetris futurorum picturis, omni ope removere conati sunt; dempta enim Brissoni summa imperii, neque leges et iura retractarentur, neque civitas popularis vigeret, neque ipsa res publica staret. Omnis Gallia penes Jesuitas et audacissimos imperatores esset. Haec Ranc orator ordinis senatorii. Quid dicemus de feroci vehementique Clemenceau, qui in commentario *Aurore bellum* indicebat Felici Faure, quem increpans provocabat, ut Brissonis loco hominem Cavaignac poneret, aut quemque alium qui partibus Boisdeffre-Esterhazy faveret? Ipsos aiebat vim in se esse illaturos, perdifficile tamen esse saeculo xx perditissimos exercitus imperatores ducesque sustineri posse patriae caritate invocata: quicumque S. Ecclesiae praecepta contemneret in ergastula et custodias duceretur: legis imperio obedirent: secus se non ignorare quid Gallica res publica de coriario festiva veste induito in commune consuleret.

Caveant tamen et Clemenceau et eius factiones pro Dreyfus constituae, ne stultis suis factis amplissimos homines exercitumque lassent, et memoria teneant quod est in proverbio: *ne quid nimis.*

★

Cum Angli, Aegyptiorum regni nomine, ad recipendas Sudanenses regiones magnis cum copiis essent profecti, Galli per quaesitorem terrarum, quendam Marchand exercitus ducem, Fashodam urbem occupare maturaverunt. Quae quidem urbs olim Aegyptiorum legibus obediebat, nunc his vinculis soluta et libera facta, quasi *res nullius* a Gallis habebatur; quapropter quo iure Angli usi sunt ut ceteris regionibus aequinoitali circulo obiacentibus ad Aegyptios quondam spectantibus potirentur, eo prorsus ipso Galli ut Fashodam in suam potestatem redigerent.

Quum omnes, qui in republica versantur, per Fashodam praevideant futurum esse iter commodissimum rerum, quae ex Africa exportantur, aut importantur, quippe quae superiores partes Nili fluminis coniungat cum regionibus Conghi et superioris Oubanghi, Gallis necesse fuit ea urbe potiri, ne commercia sua interciperentur. Qui tamen prompti sunt et parati ad Fashodam Anglis cedendum, dummodo aperiatur ipsis via, quae ad Nilum ducat.

Homines, qui res anglicas moderantur, cum Gallos invasores existiment, ab his postulant ut illico Fashoda discedant absolute in praesens tempus, llibitu suo in futurum seriusque se aliquid illis concessuros pollicentur.

Civilis ratio et disciplina administrandi externa utriusque nationis, dum scribimus, est adhuc perturbata, neque in praesenti ad animorum concordiam res nobis viam inire videtur.

EGNATIUS.

oooooooooooooooooooooooooooooooooooo

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas;
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.*

(VERG., Georg. II, 490.)

*Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.*

(HOR., Lyric. II, 2.)

ACTA SANCTAE SEDIS

EX S. R. ET U. INQUISITIONE

QUAESTIO magni ponderis proposita est. Plures ex mulieribus quae nuperant militibus qui bello cum Aethiopibus ad Aduam congressi sunt, mortuos putantes viros quorum nulla notitia haberit potuit, denouo nupturiunt. Si contradicatur, periculum est eas votum implere secundum leges civiles tantum: at quid, si fiat facultas?

Sacra Congregatio, die 20 iulii proximi, sic rem definitiv:

« Dummodo agatur de viris qui certo astiterunt pugnae de Adua, et peractis opportunis investigationibus, indubitante cognosci nequeat an vir reapse mortuus cederit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida presumptione obitus, Ordinarius permittere poterit transiit ad alias nuptias ».

Quo rescripto, facile cuique videre est nedum viam sterni ad bigamiam, ut quidam imperiti dictarunt, sanctam servari matrimonii unitatem itemque libertati mulierum provideri. Sane ita legitime argitur coniugis obitus; quod satis est abundeque ut, quantum homini licet, constet ea quae dicitur « status libertas ».

SS. RITUUM CONGREGATIONIS
RESPONSA

Relatum fuit consuetudinem vigere apud quasdam Poloniae dioeceses in missis, quae conficiuntur cum cantu, at sine ministris sacris, cantores utique respondere sacerdoti, at omittere *Introitum*, *Gloria* aliasque cantus fieri solitos in missa solemnii, contra vero pios hymnos lingua patria, tempore missae, concinere.

Quaesitum deinde:

« I. Utrum praedictus usus cantilenarum approbari, vel saltem tolerari possit?

« II. Utrum in missis cantatis sine ministris sacris organarii et chorus debeant semper exequi cantu, vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano? »

Sacra Congregatio die 25 iunii 1898 respondit: « Ad 1^{um} obstant decreta, praesertim in una *Bisarchien*. 21 januarii 1896. Ad 2^{um} affirmative ».

Porro decretum *Bisarchien*. huiusmodi est ut cani permittat, si consentiat Ordinarius, « preces vel hymnos lingua vernacula compositos in honorem Sancti, vel Mysterii, cuius festum agitur » *tempore missae priatae*; interdicat dum missa solemniter agitur.

Eadem Sacra Congregatio super quaestione: « Utrum in festo SS. Corporis Christi eiusque octava, quando fit processio cum SS. Eucharistiae sacramento, et in aliis processionibus theophoricis, licet deferri imagines B. Mariae Virginis ac Sanctorum » (quae est consuetudo diurna quibusdam locis dioecesis Basileen. et Laganen.), die 1^a iulii 1898, respondit negative.

S. INDULGENTIARUM CONGREGATIO

per generale decretum datum die 26 maii 1898 declaravit « omnes Indulgencias mille, vel plurium milium annorum, quae hoc usque concessae dicuntur aut sunt, revocatas esse, et uti revocatas ab omnibus habendas ».

EX S. CONGR. NEGOTIIS EXTRAORDINARIIS

Referente huius Congregationis secretario nonnullos Antistites Antillarum vocasse in dubium vim

Litterarum Apostolicarum *Trans Oceanum*, quasi eorum gentes non attingerent, Sanctissimus Dominus, die 16 augusti 1898, « declarandum censuit praefatas Litteras Apostolicas vigorem habere in omnibus Antillis, et ceteris insulis maris Caraibici, cuicunque civili ditioni subiificantur »; idque publicum fieri servarie mandavit.

THOMAS.

EPISTULARUM COMMERCII

Omnibus, imprimis, ephemeridibus, quae *Vocem Urbis* suis laudibus affecerunt et legentibus commendarunt, viris item amplissimis, qui operam nostram assensu compobavant, gratias quam plurimas agimus.

Cl. I. G. - *Romam*. - Aenigmatis interpretationem accipimus. Praemium propositum vero kalendis tantum Ianuarii socii sortientur, idque ea mente est constitutum, ut interpretatio commode possit vel ex locis longinquioribus mitti. Deinde, decimo quinto quoque die sortitio fieri.

Cl. E. T. - *Salernum*. - Scriptum tuum, quod typis exprimatur, nobis dignum videtur. Ab *Vocis Urbis* indole tamen quum non nihil abhorreat, illud nobis est, aegro quamvis animo, excludendum.

U. P. - *Panormum*. - Nullo pacto, quod scribis, fieri potest. *Vox Urbis* enim, quae soluta oratione, non quae numeris fusa miserint socii, edenda curabit. Haec autem excipiet, si magni sint momenti, et apta ad linguam latinam, ad artes et litteras fovendas, ad animos legentium, tot curis hoc tempore vexatis, alliciendos, vel, saltē, recreandos. Quae autem, *invita*, ut aiunt, *Minerva*, verba tantum sunt ac rhetorum pompa, etsi latine scripta, vel respuentur, vel communica mittentur in cistellulam. *Haec olim meminisse iuvabit*.

Cl. I. W. - *Strigonium, in Hungaria*. - Lege, quaequo, domine, quae supra ad U. P. scripsimus. Subnotationis vero legibus, in huius commentarii fronte propositis, cuique standum est.

Cl. M. L. D. - *Lutetiam Parisiorum*. - Carmina « rhythmico verso conscripta » maximopere nobis probantur. Ea tamen *Vox Urbis* edere non potest. Vide, sis, *monitum* in altera operculi pagina

Quum demum sit difficillimum omnia in hoc edendo commentario vitare, qui legunt, si in nonnullis offendent mendis, ne eas virgula admodum censoria notare velint precamur. In primo autem numero haec corrigan, « quae sive incuria fudit, sive humana parum cavit natura »: in pag. 2, col. 3^a, v. 55: aspernanda; in pag. 4, col. 2^a, v. 50: sacculus; in pag. 8, col. 1^a, v. 35: opprobrium; in 3^a operculi pag.: nuncium et utilissimum.

A SECRETIS.

AENIGMA

(VULGO ITALICE SCIARADA)

Creditur a caelo noster descendere vertex,
Pes noster medium per mare captat iter.
Sed capiti coniunge pedem; surgemus ab horto,
Dantes, quod foliis, flore et odore iuvat.
Nec verum arboribus similes, nec dicimur herbis,
Nec squama, aut pinnis res tribuenda mari.

X.

Ex sociis qui huius aenigmatis interpretationem ad ephemeridis moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet:

XIPHIAM
carmen celeberrimum, quod DIDACUS VITRIOLIUS panxit.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, jurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii,

RERUM ELENCHUS PRIMI NUMERI

De Voce Urbis	CARD. L. M. PAROCCHI.
Vox Urbis	v. u.
Vocis Urbis Antesignani	P. C. DE ANGELIS.
Birota velocissima	M. RICCI.
Acraephiensis Inscriptio et Oratio Neronis	F. PELLEGRINI.
Vesperae Palatinæ	H. DE VECCHI-PIERALICE.
Varia. — In memoriam Monaldi Leopardi comitis	I. CUGNONI.
De Paccio nomine	I.
De mense octobri, etc.	FORFEX.
Templum Vestæ Tibure.	I. CASCIOLI.
Anthea (<i>Eamus ad Ipsum</i>)	P. ANGELINI.
Summo Pontifici Leoni XIII. — Disticha	A. ANZOLETTI.
Annales	EGNATIUS.
Acta Sanctæ Sedis	THOMAS.
Epistularum commercium	A. SECRETIS.
Aenigma.	

L. Romanini et Soci

ROMAE

VIA TOR MILLINA, N. 26-28

PRAEMII DECORATUM OPIFICIUM

Sacrarum Supellectilium textili disciplina fabrefactarum

sive phrygio opere, sive damasceno, sive acu discriminatarum,
sive auro, sive argento,
sive sericis intertextarum, item siqua sint ad Eccl. usum

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, Lampades, Reliquaria,
Thuribula, Acerræ,
ex argento, ex cupro, deauratae, deargentatae.

¶ *Suppeditor SS. D. N. Papæ* ¶

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTINCUS GRATIS DABITUR

EQUES PHILIPPUS VITI
MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

Uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

APUD FORZANI ET SOCIMUM, EDITORES

ROMAE - Via Dogana Vecchia, 26 - ROMAE

DIVI THOMAE AQUINATIS

SUMMA

CONTRA GENTILES

Vol. I, in-8,
complectens paginas 730

Lib. ital. 3.

DIVI
THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM DOCTORIS ANGELICI

SUMMA THEOLOGICA

AD EMENDATIONES EDITIONES IMPRESA
ET ACCURATISSIME RECOGNITA

EDITIO

A LEONE XIII P. M.
gloriose regnante
aureo numismate donata



INDICES nova prorsus methodo et ratione ita sunt digesti, ut
uno in conspectu tota rerum expositio pateat.

Opus integrum (pag. 5030, in-8) venit L. 15.

M. CANI

EPISCOPI CANARIENSIS EX O. P.

OPERA THEOLOGICA

OMNIA

Tria volumina, in-8,
complectentia paginas 1160

Lib. ital. 6.

DESCLÉE, LEFEBVRE & S.

SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PARIGI - LIONE - LILLA - TOURNAI - BRUSSELLE - BRUGES - GAND - MALINES - ANVERSA - TOLOSA

LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE — Via Santa Chiara, 20-21 — ROMAE

Editiones Liturgicae

quae Typis Societatis Desclée, Lefebvre & Soc. in lucem prodeunt, revisae atque approbatae sunt a S. Rituum Congregatione.

Missalia.

Missale Romanum, in-fol. (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 40; religatum marocchino rosso, foliis flavi coloris: Lib. 55; inauratis: Lib. 60.

Missale Romanum, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum: Lib. 30; religatum ut supra: Lib. 42 vel 47.

Missale Romanum, in-4 (30 1/2 × 21 1/2). Solutum: Lib. 20; religatum ut supra: Lib. 30 vel 34.

Missale Romanum, in-8 (24 1/2 × 15 1/2). Solutum: Lib. 10; religatum ut supra: Lib. 16.50 vel 18.50.

Missale Romanum, in-18 (14 1/2 × 8 1/2). Solutum: Lib. 6; bazana religatum, foliis rubri coloris: Lib. 8; zigrino, foliis inauratis: Lib. 10.50.

Missale parvum, in-32 (12 1/2 × 7 1/2), IUXTA MISSALE ROMANUM, IN QUO CONTINENTUR OFFICIA TOTIUS ANNI, TAM DE TEMPORE, QUAM DE SANCTIS, ACCEDUNT NONNULLA IN APPENDICE PRO VESPERIS ET LAUDIBUS VESPERNIS DISPOSITA. Solutum: Lib. 2.50; tela religatum, foliis rubri coloris: Lib. 3.50; zigrino, foliis inauratis: Lib. 5.

Missae pro Defunctis, in-fol. (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 3.50; tela religatum: Lib. 7.

Missae pro Defunctis, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum: Lib. 2.75; tela religatum: Lib. 6.

Epistole et Evangelia, in-fol. magno (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 15; ligature ad libitum.

Canon Missae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter vel private celebrantium, in-folio magno (43 × 29 1/2). Solutum: Lib. 25; ligature ad libitum.

Missae Solemniorum festorum e Missali Romano excerptae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter celebrantium, in-fol. magno (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 15; ligature ad libitum.

Missale Monasticum, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum: Lib. 30.

Missale ad usum FF. Praedicatorum, in-folio parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum: Lib. 40.

Breviaria.

Breviarium Romanum, 2 vol. in-4 (28 × 19 1/2). Editio choralis, permagnis characteribus impressa. Solutum: Lib. 48; religatum: Lib. 54; zigrino, foliis inauratis: Lib. 64.

N.B. — Omnes quas supra diximus editiones novissimas additiones atque emendationes continent, charactere rubro nigroque impressae, pluribus sacris figuris aliisque ornamentis, necnon cantu ecclesiastico ornatae sunt.

Plura etiam adsunt SUPPLEMENTA pro diversis locis vel Congregationibus religiosis.

Catalogus omnium nostrarum editionum liturgicarum cum speciminiis et pretio ad rogantem mittetur. Venales autem prostant omnes nostrae publicationes in sequentibus sedibus, ubique sub ipsomet nostro nomine: ROMA, via S. Chiara, 20-21 — PARIS, rue St-Sulpice, 30 — LILLE, rue de Metz, 41 — LYON, rue Victor Hugo, 5 — BRUXELLES, rue de la Montagne, 52 — GAND, rue aux Vaches, 16 — ANVERS, Kipdorp, 22 — TOURNAI, Avenue de Maire

ET APUD OMNES BIBLIOPOLAS.

* OMNIUM CATHOLICARUM EPHEMERIDUM SUBNOTATIO PER NOS FIERI POTEST *